UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Erasmi a Chokier Tractatus iurisdictionis ordininariae in exemptos, illorumque exemptione ab ordinaria iurisdictione

in duos tomos distinct.

Quo Praeter Varias Ac pervtiles Additionibus praecipuis & in foro potissimum occurentibus Tomi primi Quaestionibus annexas, etiam S. Rotae Romanae Decisiones Novissimae De Eadem materia editae, & singulari studio selectae continentur - Hac postrema editione praecedentibus duobus Tomis primum additus

Chokier, Érasme de

Coloniae Agr., 1684

Ad Quæst. 38. Additio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-61921

Visual Library

Ad Quæſt. 38. Additio.

CIrca id, quod quæritur, an exemptio ad futura extendatur, propoſita à D. Auctore diſtinctio inter conceſſionem particularem, & univerſalem ſeu indefinitam, approbata fuit per Rotam, quæ aliàs judicavit indulta particularia exemptionum à ſolutione decimarum non extendi ad bona & prædia poſtmodum acquiſita; uti extat deciſum *in Calaguritana decimarum* 7. *Februarii* 1659. *coram Eminentiſſimo Cerro, quæ eſt dec.* 24. *n.* 1. *par.* 13. *recent.* & indultum exemptionis beneficii intelligendum eſſe, de beneficio jam erecto, non autem de erigendo, dictum fuit in *Cæſarauguſtana Camerariæ* 26. *Novembris* 1632. §. *non obſtat coram Pirovano, quæ eſt dec.* 157. *n.* 4. *par.* 6. *recent.*

Econtra privilegia univerſalia & indefinita extendi etiam ad futura, & in ſpecie privilegium exemptionis loquens de Eccleſiis comprehendere poſtea ædificatas, reſolutum eſt *in cauſa Cathacen. Eccleſiæ* 10. *Junii* 1643. § *fin. coram Bichio quæ eſt ſupra in hoc tomo dec.* 57. *& in Beneventana Eccleſiæ* 20. *Februarii* 1668. *coram Eminentiſſimo Taia, quæ eſt deciſio proximè præcedens.* Privilegium enim generale eſt ad inſtar legis, quæ ſemper loquitur. *L. Ariani C. de hæret. Franc. in c. un num.* 1. *& Geminian. n.* 8. *de exceſſib. prælat. in* 6. adeò ut quamvis conceſſio facta ſit Eccleſiis, vel Monaſteriis hactenus ædificatis, tamen ſi eſt generalis, porrigat effectum ſuum ad poſtea ædificata, intelligendo dictionem illam, *hactenus*, de omni tempore quo caſus evenerit. *Rota dec.* 81. *n.* 28. *par.* 5. *recent.* quæ concluſio potiſſimum locum habebit, ubi privilegia favorem publicum concernunt, prout in puncto privilegiorum Patrum Societatis Jesu de aperiendis collegiis & publicis gymnaſiis deciſum fuit *in Cauſa Cracovien. legendi* 30. *Martii* 1629. *coram Eminentiſſimo Ubaldo & 13. Decembris ejuſdem anni coram Reverendiſſimo Terracinen.*